



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

12. Maiora horum faciet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39480**

improbi protervia, & contradicendi libido. Idcirco autem limbum Patrum negat Calvinus, negant & alij hodie hæretici, ne præter cælum & damnatorum infernum, medium aliquem locum, qualis purgatorius nunc locus est, agnoscere cogantur. Quàm autem protervè & infulsè Calvinus id faciat, hic vnus locus ad oculum demonstrat.

12. *Maiora horum faciet.*

*Opera ma-  
iora per  
Christianos  
quàm per  
Christum  
quomodo.*

VARIA redditur à sacris Doctoribus huius promissionis expositio. Origenes homil. 7. in Numeros ideò per Apostolos aliòsque Sanctos maiora facta esse opera quàm Christus ipse fecit, exponit, quia plus est Christum per alios mundum & Diabolum vincere quàm per seipsum. Vincit autem per alios, quando per eius gratiam spiritualia fiunt opera b-  
liis Dei, quibus carò, mundus, Diabolus vincuntur. Hæc expositio non videtur literalis, quia cõparatio Christi circa eisdem generis opera versari debet. Loquitur autem de suis miraculosis operibus, quorum maiora per alios facienda prædicat. Eadem ex causa nec illa expositio ad literam erit quam idem tradit Origenes homil. 6. in Esaiam, & similiter S. Augustinus tract. 72. in hunc locum, videlicet quòd per maiora opera intelligatur conuersio Gentium & totius mundi facta per Apostolos quum Christus nisi paucos Iudæos conuertir. Hæc enim conuersio effectus potius est operum miraculorum, quàm opus per se tale, nec comparatio Christi de eo genere loquitur. Tertia est magis ad sensum Christi, quàm idem quoque tradit S. August. loco citato, & Chrysost. homil. 12. in Acta, quod quædam miracula Sancti fecerunt in similitudine Christi maiora quibusdã miraculis à Christo factis: ut quòd Petri vmbra sanauit infirmos, maius videretur quàm quòd tactu simbriæ Christus sanauit, quo exemplo Chrysost. vtriusque. Nec enim generalis hæc promissio est, vel de omnibus miraculis, sed de quibusdã; nec de omnibus Sanctis, sed de quibusdã, quum ad fidem Christi comprobendam (qui finis est miraculorum) sufficiat in eius nomine quædam à quibusdã maiora fieri miracula quàm ille aliquando fecit. Calvinus ad totius mundi conuersionem hanc promissionem refert, vbi illud facere nec solis Apostolis nec singulis piis communibus sed ad totum Ecclesiæ corpus spectet. Atqui in conuersione totius mundi, totum Ecclesiæ corpus nihil facit, sed firmitus, ædificatur, colligitur. Ergo illud facere non potest ad totum

*Caluini  
sensus re-  
sellitur.*